Nr. 2269.

CURRENDA XI.

A. D. 1871.

Nr. 107 pr.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

Pius PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Beneficia Dei ad celebrandam ejus benignitatem Nos vocant, dum novam in Nobis protectionis suae gratiam et Majestatis suae gloriam ostendunt. Quintus enim et vicesimus jam elabitur annus ex quo Apostolatus hujus Nostri, Deo disponente, ministerium suscepimus, cujus aerumnosa tempora perspecta ita sunt vobis, ut longiori Nostra commemoratione non egeant. Vere patet, Venerabiles Fratres, ex serie tot eventuum militantem Ecclesiam inter crebra certamina et victorias cursum tenere; vere Deus rerum vices temperat ac regit in Orbe, qui est scabellum pedum suorum; vere infirmis et contemptibilibus saepe instrumentis utitur, ut inde consilia expleat sapientae suae

Jesus Christus Dominus Noster, auctor et supremus moderator Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, suffragantibus meritis Beatissimi Petri Apostolorum Principis, qui in hac Romana Sede semper vivit ac praesidet, diuturno hoc Apostolicae Nostrae servitutis

tempore infirmitatem ac tenuitatem Nostram sua gratia ac virtute ad majorem sui nominis gloriam et populi sui utilitatem dignatus est regere et sustentare. Hinc Nos divino ejus auxilio suffulti, constanterque usi consiliis Ven. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et non semel vestris etiam, Ven. Fratres, qui simul hic Romae magna frequentia Nobiscum adfuistis, hanc veritatis cathedram vestrae virtutis et unanimis pietatis splendore decorantes, potuimus in hujus Pontificatus cursu ex Nostris et catholici Orbis votis Conceptionem Deiparae Virginis Immaculatam dogmatica definitione declarare, ac pluribus Religionis Nostrae Heroibus Caelestes honores decernere, quorum et praesertim divinae Matris praesidia Catholicae Ecclesiae tam adversis ejus temporibus praesto esse futura non dubitamus. Divinae pariter opis fuit et gloriae, ut verae fidei lumen in dissitas et inhospitas etiam regiones evangelicis operariis missis proferre possemus, in pluribus locis ecclesiasticae Hierarchiae Ordinem constituere, et errores humanae rationi bonisque moribus et rei tum christianae tum civili adversos hac praesertim aetate invalescentes solemni condemnatione configere. Deo pariter auxiliante, firmo ac solido, quantum poteramus, concordiae vinculo ecclesiasticam et civilem potestatem sive in Europae sive in Americae partibus inter se consociare pluribusque Orientalis Ecclesiae, quam ab initio Apostolici Nostri ministerii paterno semper cum affectu respeximus, necessitatibus consulere curavimus; ac non ita pridem Oecumenici Vadicani Concilii opus aggredi et promovere Nobis datum est, cujus tamen dum maximi fructus partim suscepti erant, partim expectabantur ab Ecclesia, ob notissimas rerum vices suspensionem decernere debuimus.

Nec vero, Venerabiles Fratres, quae civilis Nostri imperii jus et officium poscebant ea unquam, Deo donante, exequi praetermisimus. Gratulationes et plausus, ut meministis, qui initia Nostri Pontificatus exceperunt, brevi in injurias et oppugnationes adeo conversi fuerunt, ut Nos e dilectissima hac Urbe Nostra exulare coegerint. At vero ubi communibus catholicorum populorum et Principum studiis et viribus adnitentibus, Pontificiae huic Sedi restituti fuimus, continuo omnes Nostras vires et studia contulimus ad promovendam et conciliandam fidelibus Nostris subditis solidam illam et non fallacem prosperitatem, quam uti gravissimum civilis Nostri Principatus munus semper agnovimus. At vero vicini Potentis cupiditas temporalis Nostrae dominationis regionibus inhiavit, consilia sectarum perditionis paternis Nostris atque iteratis admonitionibus et vocibus obstinate praeposuit, et novissime, ut vobis compertum est, Filii illius Prodigi, de quo in Evangelio legimus, impudentiam longe supergressus hanc quoque urbem Nostram, quam sibi postulabat, vi et armis expugnavit, eamque nunc in sua potestate contra omne fas retinet, veluti substantiam, quae ipsum contingat. Fieri non potest, Venerabiles Fratres, quin vehementer ob hanc tam nefariam usurpationem quam patimur, moveamur. Angimur omnino tantainiquitate consilii quod eo spectat, ut civili Nostro Principatu deleto, una eademque opera, si ita evenire posset, spiritualis Nostra potestas et Christi Regnum in terris deleatur. Angimur tot gravium malorum adspectu, eorum praesertim quibus aeterna populi Nostri salus in discrimen vocatur; qua in acerbitate nihil Nobis est luctuosius quam oppressae Nostrae libertatis conditione impediri quominus tot malis necessaria remedia adhibeamus. Hisce moeroris

Nostri causis, Venerabiles Fratres, accedit etiam longa illa et miseranda series calamitatum et malorum quae Nobilissimam Gallicam Nationem tamtiu perculerunt et afflixerunt; quae in immensum his diebus aucta tot prorsus inauditis excessibus ab efferata ac perdita hominum colluvie patratis, atque atrox nominatim impii parricidii scelus in caede Venerabilis Fratris Parisiensis Antistitis consummatum probe intelligitis quos sensus in Nobis commovere debuerint, cum totum Orbem metu atque horrore compleverint. Est demum et alia Nobis, Venerabiles Fratres, caeteris etiam major amaritudo, cum videamus tot rebelles filios tot tantisque censurarum laqueis obstrictos nulla paternae Nostrae vocis, nulla salutis suae ratione habita pergere adhuc oblatum a Deo poenitentiae tempus contemnere, et divinae ultionis iram contumaciter, quam misericordiae fructum in tempore malle experiri.

Jam vero per tot rerum vicissitudines, Deo clementissimo Nos protegente, natalitium illum Nostrae provectionis diem jam adesse videmus, in quo sicuti in Beati Petri Sede successimus, sic licet ejus meritis quam longissime impares annorum ejus in Apostolicae servitutis diuturnitate reperimur esse consortes. Novum hoc profecto, singulare ac ingens est divinae dignationis munus ac in tanta sanctissimorum Nostrorum Praedecessorum serie in longo undeviginti saeculorum cursu Nobis unice, Deo disponente, collatum. In quo eo etiam admirabiliorem Nobiscum divinam benignitatem agnoscimus, cum videamus hoc tempore dignos Nos haberi qui pro justitia persecutionem patiamur, et cum aspiciamus mirum illum devotionis et amoris affectum, quo Christianus populus vehementer agitur ubique terrarum et ad hanc Sanctam Sedem unanimi studio compellitur. Quae sane munera cum in Nos adeo immerentes collata fuerint, vires Nostras prorsus impares experimur, ut gratiae reddendae officio pro debita ratione respondeamus. Quamobrem dum ab Immaculata Deipara Virgine petimus ut Nos doceat eodem ac Ipsa spiritu reddere gloriam Altissimo sublimibus illis verbis „fecit mihi magna qui potens est“, Vos etiam atque etiam rogamus, Venerabiles Fratres, ut una cum gregibus Vobis commissis cantica atque hymnos laudis et gratiarum Nobiscum Deo persolvatis. Magnificate Vos Dominum mecum, dicimus Leonis Magni vocibus, et exaltemus nomen ejus in invicem, ut tota ratio gratiarum et miserationum, quas accepimus, ad laudem sui referatur auctoris. Populis autem vestris significate incensam caritatem Nostram gratissimosque animi sensus ob praeclara ipsorum erga Nos filialis pietatis testimonia et officia tamdiu et tam perseveranter edita. Nos enim, quod ad Nos attinet, cum usurpare jure possimus Regii Vatis verba „incolatus meus prolongatus est“, vestrarum deprecationum ope jam ad hoc indigemus, ut virtutem, fiduciamque assequamur reddendi animam Nostram Pastorum Principi, in cujus sinu est refrigerium malorum turbulentae hujus et aerumnosae vitae et beatus portus aeternae tranquillitatis ac pacis.

Ut autem ad majorem Dei gloriam proficiat quod Pontificatus Nostri beneficiis de Ejus largitate accessit, spiritualium gratiarum thesaurum hac occasione reserantes, *Vobis, Venerabiles Fratres, potestatem facimus ut in vestra quisque Dioecesi, die decimosexto aut vigesimoprimo hujus mensis aut alio ad vestrum arbitrium eligendo Benedictionem Papalem cum applicatione plenariae indulgentiae in forma Ecclesiae consueta auctoritate Nostra Apostolica impertire possitis et valeatis.*

Spirituali autem Fidelium utilitati consulere cupientes, tenore praesentium in Domino concedimus, ut omnes Christifideles tum saeculares quam regulares utriusque sexus, quocumque in loco cujusque vestrum Dioecesis existant, qui sacramentali confessione expiati et sacra communione refecti pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione effuderint, eo die, quem Vos ad praedictam Benedictionem largiendam ex auctoritate Nostra designaveritis aut elegeritis, vel, in Dioecesibus ubi Sedes Cathedralis vacet, Vicarii Capitulares pro tempore existentes elegerint et designaverint, omnium peccatorum suorum plenariam indulgentiam consequi possint ac voleant. Minime dubitamus quin hac occasione populus christianus efficacius excitetur ad orandum, atque ita multiplicatis precibus eam misericordiam suscipere mereamur, quam tot praesentium malorum adspectus Nos segniter implorare non sinit.

Vobis interim, Venerabiles Fratres, constantiam, caelestem spem, et solamen omne a Deo omnipotenti adprecamur, quorum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Vobis Cleroque et populo unicuique Vestrum concredito plena cordis Nostri exuberantia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die quarto Junii Sanctissimae Trinitati sacro, Anno MDCCCLXXI.

Pontificatus Nostri anno vicesimoquinto.

PIUS PP. IX.

Communicando Vobiscum Venerabiles Fratres! hanc Epistolam Encyclicam Summi Pontificis, ordinamus; ut singuli Rectores Ecclesiarum mox ac Litterarum harum notitiam ceperint, Dominica vel die Festivo sequente populum fidelem de tenore earundem ex ambone instruant et Benedictionem Papalem cum indulgentiis plenariis, servatis nimirum conditionibus ibidem expressis annuncient.

Ab Ordinariatu Episcopali die 16. Junii 1871.

Nr. 111. pr.

Precatiunculae commendantur.

Felici casu incidimus his diebus in quaspiam precandi formulas praesenti rerum statui per quam ad commodatas, et a SS. D. N. P. Pio IX. indulgentiis ditatas. Hae precandi Formulae valde Nobis arriserunt, et sperantes, fore, ut et Vobis arrideant, communicamus Vobis easdem in sequentibus.

PIUS PP. IX.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

In tot, tantisque rerum asperitatibus atque angustiis temporum, quibus Nos, Ecclesiamque suam Deus versari permittit, ut tentatione probati vitae coronam promereri va-

leamus, quidam ex fidelibus, memores quod, dum Petrus servaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, deferendam Nobis quamdam precationum formulam curaverunt, cujus initium: *O divinum atque amantissimum Cor Domini nostri Jesu Christi, unde Catholica Ecclesia vitam traxit*: ut ea utentes ipsi, aliique, quibus adhibendam proposuerint, a Patre misericordiarum, qui neminem in se sperantem nimium affligi sinit, Nobis et christiano populo indulgentiam, libertatem veram ac stabilem pacem impetrare contendant; iidemque humiliter expetiverunt, ut omnibus, qui memoratas precationes ex allata Nobis formula recitarent, spirituales gratias largiri dignaremur.

Nos ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, hujusmodi votis lubendi animo annuendum censuimus.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti precationes supradictas ex formula Nobis exhibita, cujus exemplar in tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari jussimus, quolibet die devote recitaverint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quae omnes et singulae indulgentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ut etiam animabus Christifidelibus, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino impertimur. Praesentibus, hoc rerum statu durante, valituris.

Volumus autem, ut praesentium Litterarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Praecipimus autem. ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, juxta Decretum ab eadem Congregatione sub die 19. Januarii 1756 latum et e s. mem. Benedicto Papa XIV. Praedecessore Nostro die 28. dicti mensis adprobatum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 29. Novembris 1870. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.

Loco † Signi. N. Card. Paracciani Clarelli.

Praesentes Litterae Apostolicae in forma Brevis sub dat. 29. Novembris 1870. exhibitae sunt in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 3. Decembris 1870 ad formam Decretorum etc. In quorum fidem etc.

Dominicus Sarra, S. I. C. Substitutus.

Preces in hoc Brevi apostolico indigitatae sequentis sunt seroris.

O divinum atque amantissimum Cor Domini nostri Jesu Christi, unde catholica Ecclesia vitam traxit, en coram te humiles ac fidentes filios, qui, vehementiori quo possunt animi affectu, pro augusto ejus capite, suoque patre, Summo Pontifice, tibi preces fundunt Quaesumus Domine pro tua clementia, ut eum tua dulcedine recrees, tua virtute confirmes

ac tuearis, quo plenum referat de hostibus suis triumphum, qui justitiae pariter ac veritati adversantur. Pater Ave et Gloria Patri.

Virgo immaculata, Maria Dei Genitrix, audi preces humilitate ac fiducia subnixas, quas tibi pro Summo Pontifice, Jesu Christi Vicario, deferimus. Eja Mater, per illud splendidissimum gloriae decus, quo coronam capitis tui cumulavit, quum te in conceptu primigeniae labis expertem solemniter definivit, tu ei esto solatium inter amaritudines, quas ab ingratis filiis patitur; in diebus doloris ac tentationis eum protege, eique impetra ab unigenito Filio tuo, ut plenam Ecclesiae suae victoriam adhuc viator in terris laetus adspiciat. Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis. Ave Maria (dicitur ter.)

Sancte Michael Archangele, invicte dux militiae coelestis, tuque Joseph, purissime sponse Mariae Virginis, pater putative Jesu Christi, ac Ecclesiae catholicae patrone, vosque etiam, gloriosi principes terrae. sancti Apostoli Petre et Paule, intercedite pro nobis ad Dominum, ut ad gloriam suam et Ecclesiae, et ad consolationem fidelium toto orbe catholico diffusorum, emittat e coelis iterum Angelum suum, qui Jesu Christi Vicarium eripiat e manibus inimicorum suorum, ut munus supremi atque infallibilis magisterii vera exerceat libertate. Pater, Ave et Gloria Patri.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris.

Te rogamus, audi nos. — Pater, Ave et gloria Patri.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et gubernare digneris.

Te rogamus, audi nos. — Pater, Ave et Gloria Patri.

Ut Dominum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris.

Te rogamus, audi nos. — Pater, Ave et gloria Patri.

V. Oremus pro Pontifice nostro Pio.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in manu inimicorum ejus.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro Pio, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro impetrando auxilio in tribulatione.

Decretum Congregationis SS. Indulgentiarum.

Sanctissimus Dominus noster Pius PP. IX. in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 6. Octobris 1870 benigne indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui corde saltem contrito orationem *Clementissime Jesu salus* etc. devote recitaverint, indulgentiam centum dierum

semel in die lucrentur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 6. Octobris 1870,

A. Card. Bizzari, Praefectus.
Dominicus Sarra, Substitutus.

Clementissime Jesu, salus, vita, resurectio nostra tu solus es. Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui sanctissimi, et per dolores Matris tuae immaculatae, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Ut animi alacriter his precatiunculis, quia iisdem et voluntati SS. Patris Nostri obsecundabimus, qui praecipue orationem pro se et Ecclesia a nobis exigit, et indulgentiis pro iisdem ditabimur.

A Praes. Cons. Eppalis Tarnoviae die 1. Junii 1871.

Nr. 1912.

COLLECTA.

Sandeciae constituit se consortium ad sublevandam pauperem studiosam juventutem tum gymnasialem, tum subrealem, et habet in votis, ut quam plurimi huic consociationi sese adjungerent. 4 floreni v. a. annuatim solvendi ab ingressuris hanc consociationem exiguntur. Qui ergo 4 florenos v. a., vel aliud quid quotae huic aequivalens, in libris usui futuris, in vestibus, vel victualibus, annuatim conferre se velle declarat, fit membrum hujus consociationis.

Consortium istud interpellavit Nos, quatenus opus hoc salutare in dioecesi nostra publicaremus, et ad adjungendam se huic consociationi Ven. Clerum Nostrum, et alios bene se habentes adhortaremur, cui desiderio per praesentes satisfacimus.

Tarnoviae die 1. Junii 1871.

Nr. 1925.

COLLECTA.

Romano-catholica communitas Fogaras in Transylvania peroptat, scholam pro juventute sua aedificare, et quidem propter ea, quod propriam scholam non habens, proles suas in scholam acatholicorum, imo et judaeorum mittere cogatur, ubi misere pervertuntur. Sed pecuniarias facultates ad opus hoc salutare feliciter perficiendum sufficientes non habens, confugit communitas ista ad Episcopos Austriae cum prece, quatenus benevolam collectam in suis dioecesibus pro ipsa inviarent.

Petitioni huic satisfacere cupientes, appellamus et hoc in obtutu ad semper paratum cor vestrum, Fratres clarissimi! succurrendi miseris, ubi id fieri potest, quatenus in parochiis vestris quantamcumque collectam pro his supplicibus instituere dignaremini.

Opus hoc facillimum exercitu; ecce! si in qualibet parochia saltem centum personae per unum cruciferum offerrent, jam esset unus florenus; si centum parochiae id praestarent, essent centum floreni; unus crucifer certe exigua est oblatio, et tamen tanta summa colligeretur.

Faciatis ita, et Deus misericors benedicet conatui vestro.

Tarnoviae die 1. Junii 1871.

Nr. 1924.

Ostrzega się Wielebne Duchowieństwo przed nadużyciem nieprawnéj kwesty na rzecz pp. Wizytek krakowskich, jak Nam o tém donosi Najprzewielebniejszy Konzystorz jeneralny dyecezyi krakowskiéj jak poniżéj.

Konzystorz Jeneralny dyecezyi Krakowskiéj w Krakowie.

Dnia 24. Maja 1871. — Nr. 779.

Jakaś kobiéta udając Wizytkę, trudni się, jak Przełożona Zgromadzenia P. Wizytek tutejszemu Konzystorzowi doniosła, kwestowaniem jałmużny, jakoby na rzecz klasztoru P. Wizytek w Krakowie.

Nadużycie to publicznego zaufania tém jest widoczniejsze, iż kwestowanie wcale nie zgadza się z regułą i instytucyą zakonu P. Wizytek.

Konzystorz przeto zawiadomiwszy w téj dyecezyi Duchowieństwo parafialne o tém nadużyciu, uprasza o zarządzenie również w tamtejszéj dyecezyi zapobiegawczych środków.

Gałecki, w. r. X. Russek, kanclerz w. r.

Z Konzystorza Biskupiego, Tarnów 11. Czerwca 1872.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 24. Junii 1871.

JOSEPHUS ALOJSIUS,
Episcopus Tarnoviensis.

Cyprianus Netuschill,
Cancellarius.

Tarnoviae, 1871. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis, Impensis Consistorii.